



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Quatenus alij de propositione exponibili sentiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

gatur, vt non tantum homo non currit; alia affirmatiua exclusionis, & negatiua verbi, vt tantum homo non currit, alia affirmatiua verbi, & negatiua exclusionis, vt non tantum homo currit. Quam primam ita expono, homo currit, & nihil præter hominem currit: secundam vero sic; homo non currit, & præter eum aliquid aliud non currit: tertiam hunc in modum, homo non currit, & omnia alia præter eum currunt: quartam tali ratione, homo currit, & aliud ab homine currit.

29

Ab earum expositione, earum oppositio pender: cum enim omnes sint copulatiuæ, seruare debent leges copulatiuarum in opponendo à nobis superius traditas. Quocirca prioris, videlicet tantum homo currit, siue, quod perinde est, homo currit, & nihil aliud præter hominem currit, Contradictoria erit, vel homo non currit, vel aliquid aliud præter hominem currit. Contraria homo non currit, & aliud præter hominem currit, subalterna, vel homo currit, vel nihil aliud præter hominem currit; huius autem subalternæ, subcontraria est, vel homo non currit, vel aliud præter hominem currit; exponibilis enim, de qua sermo, non est vlla subcontraria, sicut non est huius v. g. omnis homo currit, alteriusve copulatiuæ: quod dictum puta, de quacunque alia exponibili. Secunda exponibilis, videlicet non tantum homo non currit, aut, quod instar est, homo non currit, & aliquid aliud præter hominem non currit, habet pro contradictoria hanc, vel homo currit, vel aliud præter hominem currit, pro contraria homo currit, & aliud præter hominem currit, pro subalterna, vel homo non currit, vel aliquid aliud præter hominem non currit: huius autem subalternæ subcontraria est vel homo currit, vel aliud præter hominem currit. Tertia exponibilis, scilicet tantum homo non currit, aut, quod in idem recidit, homo non currit, & omnia alia præter eum currunt, habet pro contradictoria, vel homo currit, vel aliud præter eum non currit, pro contraria, homo currit, & aliud præter eum non currit, pro subalterna, vel homo non currit, vel omnia alia præter eum currunt, huius autem subalternæ subcontraria est contradictoria nuper assignata, iuxta superius dicta. Quarta exponibilis, nimirum hæc non tantum homo currit, aut, quod iuxta est, homo currit, & aliud ab homine currit, habet pro contradictoria, vel homo non currit, vel aliud ab homine non currit, pro contraria homo non currit, & aliud ab homine non currit, pro subalterna, vel homo currit, vel aliud ab homine currit: huius autem subalternæ subcontraria ex dictis est perspicua. Vide caput vltimum tract. præcedentis.

30

Ad extremum hic adijcienda est regula D. Thom. 1. part. quæst. 31. art. 3. ad 5. *Dictio exclusiua* (vt eius verbis etiam vtat) *immobilizat terminum, cui adiungitur vt non possit fieri, sub eo descensus, pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur, solus homo est animal rationale mortale, ergo solus sortes.* Atque ex hac doctrina colligit ibidem S. Doct. hanc propositionem esse veram, solus Deus creat, quin exinde sequatur, solum Patrem creare, nullamque aliam personam.

CAPVT POSTREMVM.

Quatenus alij de propositione exponibili sentiant.


31

Quoad eius species priori loco explicatas, parum est dissidij inter nos, & alios auctores: Cæterum quoad tertiam eius speciem, nimirum propositionem exclusiuam, eiusque quatuor partes inferiores posteriori loco traditas, non pauci, nec parum à nobis dissident: aiunt enim inter illas inuicem, & mutuo comparatas omne genus oppositionis reperiri, nec ad earum exponibiles esse confugiendum, vt opponantur quatuor vulgaribus modis: Proinde aliter etiam eas exponunt, quam à nobis sunt expositæ, aliumque in eis memorandis, ac referendis ordinem seruant: hoc autem posterius animaduerto, non quod multum interfit, quenam earum dicatur prima, secunda, tertia; aut quarta; sed ne sit vlla confusio, aut equiuocationis occasio.

32

Dicunt ergo, sensum huius propositionis, tantum homo currit esse, aliquis homo currit & nihil præter illum currit: vnde eam explicant per dictionem, *iste*, eo, quod eius exponens, ac proinde virtualiter ipsa sit propositio complexa cohibens duas simplices, priorem videlicet particularem affirmatiuam, & posteriorem vniuersalem negatiuam, sicut prior, & posterior vocalis præfatæ dictionis denotat. Rursus sensus huius propositionis, non tantum homo currit, iuxta eos est, nullus homo currit, vel aliquod non homo currit: quare explicatur ab eis per dictionem, *regit*, eo, quod earum propositionum simplicium, quas virtute suæ exponentis continet, prior sit vniuersalis negatiua, & posterior particularis affirmatiua, prout altera, & altera vocalis eiusmodi dictionis indigitat. Præterea hæc propositio, tantum homo non currit de eorum sententia recidit in hanc, aliquis homo non currit, & omne aliud currit, adeoque explicari solet per *proram*, cuius prior vocalis significat primam propositionem simplicem eius complexæ esse particularem negatiuam, & posterior secundam esse vniuersalem affirmatiuam. Deinde hæc exclusiua, non tantum homo non currit, resoluitur ab eis in istam: omnis homo currit, vel aliquod non homo currit: quæ ergo est prioris simplicis vniuersalitas cum affirmatione, & posterioris particularitas cum negatione coniuncta, exponens ex vtraque complexa, adeoque exponibilis ipsa, per dictiunculam, *clauo*, ab eis declarari consuevit. Porro autem habita ratione non tam propositionum simplicium, quam nexuum, quibus inuicem coherent, ita sentiunt, *iste*, & *proram* esse modos vniuersales, eo, quod sint copulatiui, ad instar huius particulæ vniuersalis, *omnis*, & propositionis, quam afficit; *regit* verò, & *clauo* esse modos particulares; eo, quod sint disiunctiui ritu huius syncategorematis particularis, *aliquis*, & quam ingreditur propositionis. His statutis iuxta quatuor superiores dictiones, *iste*, *regit*, *proram*, *clauo*, sequentem quadrangulum formant, eoque quenam exponibilium illarum alteri, & quatenus opponatur, discerunt.

Verum



33

Verum hæc doctrina non placet : nam primò, hæc exponibiles singulares, tantum Petrus currit, non tantum Petrus currit, tantum Petrus non currit, non tantum Petrus non currit, hæc, inquam, qui possunt esse in quatuor illis dictionibus, *iste, regit, &c.* aut per eas illarum oppositio quomodo potest explicari? Etenim sensus primæ est, Petrus currit, & nihil aliud currit, ergo ea non est, in *iste*, cum huius modi prima sit, non singularis, sed particularis: sensus secundæ iuxta aduersarios erit, Petrus non currit, vel aliquid non Petrus currit, haud ergo esse potest in *regit*, cum iuxta exigentiam huius modi illius prima, non sit vniuersalis negatiua: sensus tertiæ, Petrus non currit, & omne aliud currit, eaque adeo nequit esse in *prora*: sensus quartæ, Petrus currit, vel aliquid non Petrus currit, eaque proinde nequit esse in *clauo*. Non me latet, quosdam aduersariorum responsuros, has propositiones de subiecto singulari esse omnis oppositionis veræ incapaces: sed neque me latet, eos facile impugnari posse, ex dictis tract. præcedenti: quapropter huius solutionis vltiori impugnatione superfedeo. Idem argumentum fieri potest in exclusiuis, quæ sunt de subiecto vniuersali, vt tantum omnis homo currit, non tantum omnis homo currit, &c.

34

Argumentor secundo, quia vt optimè disputat P. Hurtadus disp. 4. summ. sect. 3. §. 58. si hæc propositio non tantum homo currit, siue non solus homo currit, deberet exponi, non per copulatiuam, sed per disiunctiuam quandam, pro eo, ac censent aduersarij, similiter hæc exclusiua, solus non sum, & quæuis alia id genus deberet exponi per disiunctiuam, non vero per copulatiuam: Consequens est absurdum, & contra illud Ioannis cap. 8. num. 16. *solus non sum, sed ego, & qui misit me, pater*: vbi Christus Dominus exclusiuam illam, solus ego non sum, exponit per hanc copulatiuam, ego sum, & pater meus est. Par autem est ratio eius exclusiue, quæ tam verbum, quam exclusionis notam negat: perperam ergo dicitur exclusiuarum vlla debere per disiunctionem exponi: cum ergo ab eiusmodi disiunctione earum pendeat oppositio, hæc nequiquam est admittenda, sicut adstruitur ab aduersariis.

35

Argumentor tertio; quoniam contrarij, si non omnes, at certè plerique, vt omne genus oppositionis tueantur inter propositiones typo superiori descriptas, docent, alias earum esse omnino, & simpliciter vniuersales, & alias eodem modo particu-

lares, estò vtralibet sint mixtæ ex propositionibus simplicibus, tum vniuersalibus, tum particularibus, videlicet propter nexum, qui, si copulatiuus est, secundum eos tribuit vniuersalitem solam, sin autem disiunctiuus, particularitatem: at hæc doctrinæ est parum verisimilis: primò, quia supponit ad oppositionem contradictoriam duarum propositionum nec non ad subalternam requiri, vt altera sit vniuersalis, altera particularis; ad contrariam, vt ambæ sint vniuersales, ad subcontrariam, vt particulares, hoc autem est à nobis impugnatum suo loco semel, & iterum. Secundò, quoniam vbi propositio complexa cõstat, vel formaliter, vel, quod est probabilius, virtualiter ex vna simplici vniuersali, & altera particulari, eo ipso est partim vniuersalis, partim particularis; tñ, quia quantitas propositionis est ex subiecto desumenda, vt ostensum manet tr. 3. c. 2. subiectum autè eiusmodi propositionis complexæ est duplex, alterum vniuersale, & alterum particulare: tum, quia non dicitur aliqua propositio complexa omnino, ac simpliciter affirmatiua, aut negatiua pro ratione nexus, sed potius respectu habito ad propositiones simplices, vt probatum est tract. 4. cap. 12. prope medium, aduersus Auerfam opinantem, omnem propositionem complexam, hoc ipso, quod copulatiua sit, affirmare, & quod disiunctiua, negare.

36

Argumentor quartò, quoniam luce clarius videtur, has propositiones, tantum homo currit, non tantum homo currit, ita comparatas esse vt ambæ ex æquo cursum hominis affirment, quin differant, nisi in eo, quod altera, nimirum posterior affirmet cursum de aliis, prior vero eum neget: vt in simili docuit Augustinus lib. 6. de trinit. c. 7. *solum patrem dicimus patrem, non quia separatur à filio, sed, quia non simul ambo pater sunt*: ac Thomas 1. p. q. 31. art. 3. ad 2. *possumus enim dicere, tantum Sortes currit, id est nullus alius*. Atqui iuxta aduersarios aliter se res habet, & posterior earum propositionum negat de homine cursum, reicienda igitur est illorum opinio. Nec minus etiam euident apparet, has propositiones, tantum homo non currit, non tantum homo non currit, ita institutas esse, vt ambæ cursum hominis negent, aliarum vero rerum prior affirmet, & sola posterior deneget. At aduersarij sentiunt cursum de homine per posteriorem non negari, sed affirmari, debent ergo, vel ex hoc etiam titulo reici.

Tandem argumentor ex dictis: demus nullum hominem

hominem currere; tum hæc propositio, tantum homo currit erit falsa; affirmat enim hominem currere & nullus currit. Rursus hæc, non tantum homo currit, tum erit falsa; ait enim hominem currere & aliquid etiam aliud præter eum, cum tamen homo non currat: ratio à priori est, quia, ut propositio copulatiua sit omnino falsa, satis est, vnam duntaxat obiecti partem non se habere quemadmodum affirmatur: hand ergo opponuntur contradictorie, *iste, & regit*, cum contradictio nequeat esse inter propositiones simul falsitati obnoxias. Fac è contrario ho-

minem currere, tum hæc propositio, tantum homo non currit, erit falsa, nec non ista, non tantum homo non currit, cum iuxta veritatem vtriusque expositionem à nobis superius traditam, ambæ cursum inficientur hominis; *propterea* ergo, & *clauso* non opponuntur contradictorie, nisi vero contradictio possit esse inter propositiones simul falsas. Qui plura velit de exponibilibus, adeat Sotum lib. 4. Summul. Toletum lib. 3. Fonseca libr. etiam 3. Hurtadum disp. 4. Summul. sect. 13. & sequentibus.



LIBER QVINTVS

DE VERITATE MEDIATA, *Sive Argumentatiua.*

TRACTATVS I.

De veritate syllogistica.

CAPVT I.

Quid sit syllogismus, & quam eius forma.

PRIMA, & potissima species veritatis argumentatiuæ, siue argumentationis, & ad quam reducitur omnis alia; ut in progressu patebit, est syllogismus: unde non iniuria primum doctrinæ ordine sibi locum asserit. Syllogismus ab Aristotele 1. prior. c. 1. definitur oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quidpiam ab iis quæ posita sunt necessario euenit, eo quod hæc sunt. Parum ab hac dissidet ea, quam tradit Aulus Gellius lib. 13. noctium Atticarum cap. 26. syllogismus est oratio in qua consensus quibusdam, & concessis, aliud quid, quam quæ concessa sunt, per ea, quæ concessa sunt, necessario conficitur. Nec non ea quam exhibet Clem. Alexand. 8. Strom. Nulla autem simplex, & prima oratio vocatur syllogismus, etiam si sit vera, sed est ad minimum composita ex tribus huiusmodi: duabus quidem ut, quæ sumuntur; propositionibus, una autem, ut conclusione. Porro autem triplicem hanc definitionem sequenti explano, mutato tamen genere remoto, oratione nimirum, in argumentationem, quæ certe syllogismi genus proximum est: Syllogismus est argumentatio, in qua ex duabus propositionibus tertia necessario sequitur; veluti omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.

Quò autem ad secundam præfixæ quæstionis partem deueniam, eique satisfaciam, sicut forma domus v.g. in artificiosa partium eius dispositione sita

est, ita forma syllogistica collocanda est in artificio maioris, minoris, & conclusionis, quibus tanquam partibus syllogismus coalescit. Quæ propositio conclusio sit, & cur ita vocetur, perspicuum est; cum ea sola sit, quæ ex præmissis inferitur: quæ autem præmissarum maior sit, quæ minor, & cumnam eo nomine gaudeant, haud est exploratum adeò.

Prima sententia est P. Roderici de Arriaga disp. 3. summul. sect. 5. numer. 24. circa medium, & communiter eorum, qui tuentur quartam figuram à tribus Aristotelicis distinctam, quinam autem sunt haud ita post constabit. Item Scoti lib. 1. prior. q. 24. Soti lib. 5. Summul. c. 5. & 6. Tellezj disp. 16. log. sect. 3. n. 6. Hi omnes ergo censent, eam syllogismi propositionem esse maiorem, quæ prius tempore, & eam minorem, quæ posterius tempore profertur. Cæterum non placet hæc opinio: namque syllogismus mentalis maiore & minore constat: at in mente neutra præmissa aliam tempore antea uertit, quoties ambæ ad conclusionis assensum concurrunt; quod si maiorem, & minorem mentalem neges, eadem licentia syllogismum mentalem poteris inficiari. Rursus, quod vna propositio prius sit prolata quam alia, ad conclusionem inferendam parum confert, & quod aiunt, se habet omnino per accidens: at artificium præmissarum, quo alia maior, alia minor est, respectu conclusionis censetur esse per se, atque ad eam deducendam maximopere conferre: hoc ergo artificium in eo ordine prioris, & posterioris minimè consistit: Maior, nam quæ sequuntur sponte sua sunt perspicua, suadet: quoniam ubi propositiones eadem sint, quomodocunque proferantur, & siue vna prius tempore quam alia, siue è conuerso, eadem est identitas extremorum cum medio, quæ sola ad identitatem extremorum inter se in conclusione representatam per se, ut aiunt, se gerit, multumque conducit. Et quidem Arabes teste Sueffano. 1. prior. comm. 33. minorem primo loco ponebant: contra Latini & collocabant & his etiam temporibus collocant primo loco solam maiorem: at Græcis utraque positio fuit in usu: signum ergo est ordinem præmissarum penes tēpus esse omnino per accidens ad inferendā conclusionē.

Ad